

Sulphatis Ferri Nativi... } ana partes duas,
Muriatis Sodae..... }

Carbonis communis exsiccati partem unam.

Seorsim pulverata misceantur omnia, et igni forti cochleatim injiciantur in cubiculo clauso, ut gas muriaticum oxigenatum eliciens miasmata corrigat; postea aëri libero exponatur: totiesque repetatur fumigatio, quoties necesse fuerit.

CAPUT V.

INFUSA AQUOSA.

INFUSUM ROSARUM SOLUTIVUM.

℞. Petalorum Rosarum Pallidarum, à calycibus scilicet mundatorum, et staminibus, pistillisque per cribrum rejectis, libras sex. Aquae purae bullientis libras duodecim.

Infunde per horas octo in vase fictili vitreato. Liquorem colatum, expressum, et defoecatum, superaffuso Olei olivarum pauxillo, in lagenis vitreis angustioris colli serva pro

Syrupo Rosarum, si fortè illum ex tempore conficere tenearis.

Simili modo parantur infusa.

Petalorum Florum Mali Persici.

Rosarum Rubrarum.

Paeoniae et similia.

N. B. Hic subjiciuntur infusa Alkoolica Vinosa, et Acetosa, de quibus sub nomine generico TINCTURAE ALKOOLICAE, VINA, ET ACETA MEDICATA singulatim agemus.

CAPUT VI.

VINA MEDICATA.

VINUM ABSYNTHII.

R̃j. Summitatum Absinthii siccarum, et incisarum uncias duas,

Vini albi optimi libras quatuor.

Infunde per biduum, et filtra.

Dosis ab uncia ad uncias quatuor.

Ita fiunt Vina Medicata ex aliis vegetabilibus.